

ram tempore sexagesies breviori nempe mi-

auto uno secundo describeret pedes 15 — ;

dato enim spatio velocitates uniformes sunt  
inverte ut tempora, sed hoc idem spatium  
eodem tempore percurreunt gravia terre-  
stria: Igitur vis centripeta lunæ & vis cen-  
tripeta terrestris sunt ejusdem generis, cum  
eamdem utraque mensuram habeat, eam-  
demque directionem. Ergo luna graviaque  
terrestria tendunt in terram atque etiam se  
mutuo trahunt corpora omnia terrestria non  
secus ac faciunt cœlestia, per legem analogiæ.

III. Non solum in se mutuo tendunt cor-  
pora, sed etiam eadem vi mutua pollent  
omnes corporum partes, alioquin tota dis-  
solveretur corporum tellurisque compages.  
Illa autem attractio non solum mutua est,  
sed etiam æqualis; etenim distinguatur ter-  
ræ moles in binas quascunque partes vel  
æquales vel utcunque inæquales; jam si par-  
tium attractio mutua non foret atque etiam  
æqualis, attractio minor cederet majori,  
& partes conjunctæ recta moveri pergerent  
in infinitum. Partes igitur sese mutuo æ-  
qualiter urgent, ita ut actioni semper æ-  
qualis sit & contraria reactio; quæ quidem  
omnia allato jam antea magnetis exemplo  
illustrari possunt; quod autem dictum est  
de binis utcunque terræ sectionibus, idem  
quoque intelligitur de aliis quibuscunque  
corporum partibus. Itaque attractionem u-  
niversalem demonstrant phænomena cœlestia  
atque terrestria, ita ut hanc naturæ legem  
in dubium vocare non possit ingenuus phi-  
loso-